e-codices



erit magnus; sed ille quasi homo magnus, hic quasi deus ma
gnus. Magnus enim dominus et laudabilis nimis, et magnitu
dinis eius non est finis. Et uere est et ille magnus, qui maior in
ter natos mulierum propheta iohanne baptista nemo est. Ha
bet tamen maiorem, quia qui minor est in regno dei maior
est illo. Magnus autem iohannes, sed coram domino. Et magnus iohannes
uinum et siceram non bibit, hic cum publicanis et peccatoribus
manducat et bibit. Ille abstinentiae meritum colligat
cui potentia nulla naturae, christus autem cui naturaliter sub
petebat delicta donare cur eos declinaret quos ab
stinentibus poterat praestare meliores? Simul mystice
non dedignatur eorum conuiuium, quibus daturus est sacramentum.
Hic ergo manducat, ille ieiunat. Utrique ipsi typus. In
illo ieiunat, in hoc pascitur. Sed ieiunauit et christus, ne prae
ceptum declinares. Manducauit cum peccatoribus, ut gratiam
cerneres, agnosceres potestatem. Magnus ergo et iohannes,
sed huius magnitudo habet principium, habet finem. Dominus autem
ihesus idem est finis atque principium, idem primus et nouissi
mus. Nihil ante primum, nihil ultra nouissimum. Neque te
generationis humanae consuetudo in uitium trahat, ut pu
tes non primum esse qui filius est. Sequere scripturas, ut errare non
possis. Primus filius dicitur, lectum est enim quia et solus pater qui solus
habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem,
sicut legisti: et immortali soli deo. Sed neque primus ante pa
trem, neque solus sine filio. Si alterum negas, alterum destru
is, utrumque sequere et utrumque confirmas. Si dixit ego prior
et ego posterior, sed ego primus et ego nouissimus. Primus
est filius, et ideo coeternus, habet enim patrem cum quo sit aeternus.
Audeo dicere: primus est filius, sed solus non est, et bene dico et reli
giose dico. Quid erigitis ad impietatem heretici aures?

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 31 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/31)